

Dissertatio inauguralis chemico medica de taxo baccata Linn. ... / [Johann Christian Ludwig Reddelien].

Contributors

Reddelien, Johann Christian Ludwig, 1761-1819.
Loder, Just Christian von, 1753-1832.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis Stranckmannianis, [1794]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b4njjn26p>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

*DISSERTATIO IN AVGURALIS CHEMICO-MEDICA
DE
TAXO BACCATA LINN.*

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DUCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET
GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

P R A E S I D E

IVSTO CHRISTIANO LODER

MED. D. ET P. P. O.

PRO GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

A. D. VIII. MARTII CCXCVI.

PVBLINE DEFENDET

A V C T O R

**IOHANNES CHRISTIANVS LVDOVICVS
REDDELIEN**

ROSTOCIO - MEGAPOLITANVS.

I E N A E

T Y P I S S T R A N C K M A N N I A N I S.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
999
1000

V I R O
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO
**CHRISTOPH. GVILIELMO
HVFELAND**

MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI ORDINARIO SV-
PERNUMERARIO SERENISSIMI DVCIS SAXO - VINARIEN-
SIS ET ISENACENSIS CONSILIARIO ET MEDICO AVLICO
ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM COL-
LEGAE ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAЕ SCIEN-
TIARVM VUTILVM ET SOCIETATIS HELVETIAE ME-
DICO - CHIRVRGICAE SOCIO

PATRONO FAVTORI ET PRAECEPTORI
SVMME COLENDΟ

NEC NON
PATRVO OPTIMO
JOHANNI CASPARO
REDDELIEN

MERCATORI ROSTOCHIENSIS

SPECIMEN ACADEMICVM

PIETATIS ET GRATI ANIMI DOCUMENTVM

D. D. D.
LATRONIO EVALE ET LAECETORI

SUMME COTENDS

AVCTOR

IOHANNES CHRISTIANVS LUDOVICVS
REDDELIEN.

PROOEMIVM

Quo maiores sunt laudes, quibus Taxi vires medicæ nostris temporibus extolluntur, eo magis opus esse videtur, vt hocce remedium justo examini subiicitur. Hoc animo thema, quod tractandum mihi sumsi, adgressus sum, ita tamen, vt symbolam aliquam huic rei adferrem, non, vt omnia absoluere, id quod a tyrone vix exspectari potest. Ab ILL. HUFELANDIO, Praeceptore summe colendo, nec non ab ILL. BUCHOLZIO acceperam noua quaedam obseruata circa Taxi virtutes medicas: his ea, quae ab aliis scriptoribus exposita sunt, subiungere studei. Sed, cum analysis chemica, quae partes constitutivas sistit, in explicandis effectibus insignis sit mo-

A

menti;



menti; etiam isti operam dedi, eamque ea, qua potui,
diligentia et sollertia institui. Baccarum exploratio-
nem anni tempus non concessit: alia circa folia et ra-
mos instituenda experimenta, quo minus aut suscipe-
rem aut ad finem perducerem, aliae rationes impediue-
runt. Historiam botanicam plane silentio praeterii,
quippe quam Cl. MEYER *) omnibus numeris absolu-
tam tradidit.

*) MEYER *Medic. Versuche, 1r Abschnitt. Ueber den gemeinen euro-
paeischen Taxusbaum.*

SECTIO I.

SISTENS
EXPERIMENTA CHEMICA

§. I.

DESTILLATIO

Foliorum Taxi vna cum ramis minoribus contusorum vncias duodecim cum aquae destillatae libris quatuor ponderis medicinalis in retorta vitrea infudi. Retorta in B. A. posita, excipulo adiecto commissuraque bene clausa, digestionem per tres dies continuaui, qua finita libras duas leni calore destillando eduxi. Aqua distillationeeducta odorem foliis Taxi analogum, saporem vero nullum habuit. Olei aetherei ne gutta quidem adparuit.

§. II.

EXTRACTIO AQVOSA.

Residuo ex retorta effuso et cum expressione collato, folia cum ramis in colatorio remanentia iteratis



vicibus cum aqua destillata decoxi, donec aqua adhibita neque sapore neque colore exinde mutaretur. Singula dein decocta, post decantationem a partibus tenuioribus, quae per colatorium transierant, commixta, vase vitro in B. A. leni calore euaporaui. Quo facto obtinui vncias duas, drachmas sex et grana viginti extracti coloris fusci pellucidi, saporis ex amaro salsi et eiusmodi consistentiae, ut facile in formam pilularum redigi posset.

§. III.

RESINAE AB EXTRACTO AQVOSO SEPARATIO.

a) Ut vero resina ab extracto aquoso secerneretur, vnciam vnam eius cum vnciis sex spiritus vini in alembico infudi, et ostiolo vesica vitulina clauso, digestioni leni calori per XXIV horas exposui. Finita digestione spiritus vini colorem ex fusco in rubrum vergentem induxerat, eoque deinde extractum in alembico adhuc residuum, spiritu vini iteratis vicibus affuso, eodem modo tractaui, donec ille haud amplius tingeretur.

b) Tincturas, quae obtentae fuerant, adiecto pauxillo aquae in retortam infudi et spiritum vini leni calore destillatione detraxi. Cum vero residuum ex retorta in patinam porcellanam effunderem et euaporare studearem, mox aliqua pars resinae lateribus vasis adhaesit, quae separata, aqua abluta et exsiccata, grana XXIV pondere aequabat. Quod adhuc restabat ad extracti consistentiam euaporaui, ex quo, aqua abluedo grana Vlll adhuc resinae accepi. Vncia vna itaque extracti aquosi grana XXXll resinae continebat, quae sapore ama-

amaro gaudebat, ductilis erat, in spiritu vini vero soluta, tincturam viridem exhibebat.

§. IV.

CINERVVM EXPLORATIO.

a) Folia cum ramis, quae ab extractione aquosa (§. ll.) remanserant, exsiccata uncias duas et drachmas tres ponderarunt. In vase porcellano combusta, cineris colore gryseo praediti drachmam vnam et grana XXVI exhibuerunt. Cinerem hunc per quadraginta octo horas aëri expositum, ut acidum aëreum, quod forte inter combustisonem amiserat, recuperaret, vnciis III. aquae destillatae in vase vitro infudi, digestioni per viginti quatuor horas exposui, et per horam, sensim sensimque pauxillum aquae addendo, leni igne coxi, donec vncia una cum dimidia liquoris remaneret, qui filtro percolatus, colorem album et saporem aquae analogum ostendit, neque ullo reagente commixtus salis alcalini indicia praebuit. Non est, cur partes salinas nimis diu protracta calcinatione destructas esse timeamus, cum, simulac carbones igne combusti essent, vasculum in quo combustio instituta erat, statim ab igne remoueretur. Idem etiam sequitur ex verbis cl. HAGEN *) quae ita sese habent: „*Die Asche besteht theils aus im Wasser auflöslichen, theils unauflöslichen Theilen; erstere sind Salze, die aber dann nicht statt finden, wann die Pflanze vor dem Verkohlen mit Wasser oder Weingeist lange genug ausgekocht ist.*“

b) Cinerem (lit. a.) in filtro relictum exsiccaui; pondere haud mutatum, in vase vitro cum aquae de-

A 3

stil-

*) Experimental-Chemie 2te Aufl. p. 37.



stillatae vncia vna infudi, eique acidum nitri purissimum eo vsque sensim instillaui, donec nulla effervescentia amplius exinde oriretur, quo facto vitrum per noctem digestioni exposui. Postridie fluidum, quod citrinum colorem induxerat, filtro percolaui, terramque in eo relictam aqua destillata edulcorau. Haec exsiccata grana viginti pondere aequauit, vnde acido nitri drachmam unam et grana sex soluta fuisse apparet.

c) Solutioni huic (v. lit. b.) spiritum salis ammoniaci causticum instillaui, et turbidam redditam fusco-que colore imbutam, cum nihil amplius exinde praecipitaretur, filtro ponderato percolaui. Residuum in filtro, cum aqua destillata edulcoratum et exsiccatum esset, grana duo cum dimidio pondere aequauit, colore fuscum praebuit, et, cum calcinationi subiicetur, granum et dimidium calcis ferri exhibuit.

d) Liquori (lit. c.) percolato acidum vitrioli dilutum instillaui, quo facto statim liquor albus et turbidus enatus est. Cum praecipitatum mox fundum petret, iterum acidum vitrioli adeici, donec nil amplius praecipitari animaduerterem. Praecipitatum, liquore decantato, iteratis vicibus aqua destillata edulcoratum et exsiccatum drachmam vnam et grana sedecim pondere aequabat et selenites erat. Terra igitur (vid. lit. b.) acido nitri soluta, calcaria erat.

e) Cum residuum a solutione cineris in acido nitri (vid. lit. b.) relictum et siccatum cum salis alcalini vegetabilis puri drachma vna et granis viginti commixtum, in tigillo prunis carentibus imponerem, massa in grumos abiit, nec ad fluxum perduci potuit. Hanc massam salinam in aqua solui, et solutionem filtro per-

colaui. Ex liquore percolato, adiecto acido salis, nihil praecipitabatur. Id, quod in filtro remansit, aqua destilata edulcoratum et exsiccatum grana sedecim pondere aequabat, et nunc acido nitri soluebatur.


Haecce cineris portio igitur contiuuit
Terrae calcariae drachmam unam grana sex,
Gypsi grana viginti
Calcis ferri granum vnum et dimidium.

f) Cum cineres (vid. lit. a) nihil salis alcalini exhiberent, vncias sex foliorum Taxi cum ramis minoribus combussi. Cineres ponderabant drachmam vnam et grana quinque, ex quibus, cum eos eodem modo, vti antea (vid. lit. a) dictum fuit, tractarem, grana septem et dimidium salis alcalini fixi obtinui.

§. V.

EXTRACTIO SPIRITVOSA.

Iam quidem (§. lll.) inueneram, quanta copia resinae in vncia vna extracti aquosi contenta esset, sed cum adhuc scire vellem, quantam eius copiam certa foliorum cum ramulis portio contineret; vncias sex eorum leni calore exsiccaui, concisa spiritus vni rectificati vnciis octodecim in alembico infudi et digestioni per tres dies leni calore exposui. Tinctura hinc obtinebatur colore fusco, qua per colaturam cum expressione separata, residuum iterum vnciis nouem spiritus vni eodem consilio infudi. Tincturis his commixtis et in retortam infusis, spiritus vni odore haud mutati vncias octodecim destillatione eduxi. Ex residuo ex retorta effuso et in vase porcellano euaporato, mox resina secernebatur, quae



quae abluta et exsiccata grana quadraginta duo pondere aequabat. Quod adhuc restabat ad extracti antea memorati consistentiam euaporauit, ponderis drachmarum septem et granorum trium, ex quo cum aqua ablueretur grana decem adhuc resinae accepi, iisdem qualitatibus praeditae, quales §. III. exposui. Vnciae sex foliorum cum ramulis continuerunt igitur resinae grana quinquaginta duo.

b) Residuum ab extractione spirituosa iteratis vicibus cum aqua decoctum, exhibuit extracti aquosи drachmas tres.

§. VI.

PRINCIPII ADSTRINGENTIS DISQVISITIO.

Cum folia Taxi masticata saporem praebeant amarum subadstringentem; huius principii adstringentis ut certior fierem, drachmam vnam eorum aqua coxi. Eadem ratione ex herba Theae boheae et herba Agrimoniae decocta paraui, et singulis solutionem vitrioli martis instillaui. Decoctum Theae mox colorem nigrum induxit et post aliquot dies praecipitatum copiosum nigrum demisit. Decoctum Agrimoniae colorem nactum est ex nigro viridem, et praecipitatum exhibuit minus nigrum et minus copiosum. Decocti denique foliorum Taxi color, ex fusco in viridem vergere visus est, et praecipitatum dedit, quod post quatuor dies fundum petiit, multo minori copia, et colore ex viride nigro praeditum.

Ex his sequitur, foliis Taxi inesse quidem principium adstringens, sed copia perquam exigua.

§. VII.

No
§. VII.

PRINCIPII ANTISEPTICI INVESTIGATIO.

Vt vim antisepticam experirer, carnis vitulinae recentis frustula aequalia decoctis eadem ratione ex cortice peruuiano, Salicis, Ulmi, rad. Calami, herba Sabinae, foliis Taxi paratis, aqua fontana superfudi et in loco frigidiusculo posui. Die quarto praeterlapso caro, cui aqua fontana infusa erat, odorem putridum exhalauit, qui sequente die magis magisque increuit. Die sexto in carne, decocto Ulmi et Calami immersa, prima putredinis signa sese manifestarunt. In ea vero, quam decocto corticis Salicis infudi, odor acidiusculus adparuit. Septimo die caro in decocto Sabinae et Taxi odorem putridum sparsit, et fluidi superficies membranula adiposa obducta est. Die nono caro, quae adhuc in quatuor his decoctis solida manserat, pntredine soluta est. Odor vero carnis, decocto Salicis immersae, acidiusculus, die decimo tertio in putridum mutatus est. Caro denique decocto corticis peruuiani superfusa, quae adhuc solida et sine vlo putredinis signo fuit, decimo sexto die odorem putridum nacta est. Quae cum ita sint, folia Taxi corticem Ulmi et radicem Calami vi antiseptica superare, herbae Sabinae aequalia esse, a cortice vero Salicis et Chiae superari videntur.

Cum carnem, quae aqua fontana superfusa, tertio die in putredinem jam abierat, aqua pura ablutam deuuo decocto foliorum Taxi infunderem, primo quidem die odor putridus corrigi visus est, sed penitus removeri non potuit, et sequente die putredinis incrementum sese manifestauit.



SECTIO II.

SISTENS

V S V M M E D I C V M

§. VIII.

E F F E C T V S G E N E R A L E S .

Antequam de vsu speciali nostri medicaminis loquar, quaedam de eius effectibus generalioribus in corpus humanum praemonere liceat. — Hi vero secundum obseruationes cl. HARMAND *) sequentes sunt:

- 1) minori dosi si propinatur, effectus, quos exserit, parum conspicui sunt.
- 2) maiori vero dosi adhibitum hoc remedium procreat
 - a) Vertiginem transitoriam et somnolentiam, aliquot horas perdurantem. Idem quoque constat ex obseruationibus iteratis Ill. HVFELANDII et BUCHOLZII.
 - b) Stuporem cum immobilitate extremitatum corporis, praecipue post sudores copiosos.
 - c) Subinde dolores vagos, vehementes, sed transitorios.
 - d) Nau-

*) *Journal de Médecine* 1790. Mai, HVFELAND *Annalen der franz. Arzneyk.* Vol. I. pag. 153.

- d) Nauseam, quam nonnunquam vomitus pituitosi, raro biliosi sequuntur.
- e) Diarrhoeam, haud conspicuam quidem, saepe vero cum tenesmo coniunctam, quem effectum Ill. HVFELAND interdum quoque obseruauit.
- f) Difficultatem mingendi, cum excretione vrinae aquosae alternantem; cl. FISCHER *) vero lotium rubrum, et mictum quasi cruentum, post stranguriam leuiorem obseruauit.
- g) Saliuam tenacem, salsam, nonnunquam adeo acrem, ut sensus ardoris in ore inde oriretur.
- h) Sudores viscidos, foetidos cum cutis pruritu insigni et rubore in iis praesertim locis, ubi glandulae lymphaticae subiaceant.

§. IX.

VIRES MEDICAE.

Ex his modo allatis variae vires nostro medicamini inesse videntur. Harum praecipuam esse vim narcoticam, testantur symptomata, quae tam in brutis, quam in hominibus, pastu foliorum taxi necatis, obseruata sunt, quaeque iis, quae ab opio proueniunt, similima fuerunt. Vertigo enim, somnolentia, ventriculi intestinorumque inflammatio, sanguinis profluvia, vibices aut petechiae in omnibus fere adparuerunt **).

B 2

Nec

*) Vid. EI. *Dissert. de menstruis suppressis*. Götting 1793. pag. 72.

**) Vid. MEYER *medic. Versuche i Abschritt über den gemeinen europ. Taxusbaum*, qui colluuiiei potissimum gastricae et humorum abundantiae, cui usus plantae accessit, effectus venenatos tribuendos esse putat: sed, si casum, quem PERCIVAL (*SammL auserl. Abhandl. f. pract. Aerzte*, Vol. III, p. 711,) allegat, respic-



Nec silentio hic praetereundum esse videtur, illud, quod nuperrime in Ill. BUCHOLZ pharmacopolio accidit, ubi, cum extractum Taxi pararetur, discipulus, qui huic labori praeerat, granis circiter decem deglutitis, statim vertigine et dolore oculorum pressorio correptus est, et mox in somnum incidit, ex quo tamen in sequenti die et quidem matutino tempore prosper et incolamus euasit. Adparet porro vis haec narcotica ex salutaribus in morbis spasticis effectibus. Praeterea vero vis stimulans ex symptomatibus generalioribus supra §. 1. (lit. c ad h) allatis satis conspicua est. Vim antisepticam quoque foliis Taxi non deesse, testantur experientia tam a cl. GATERAV *), quam a me **) instituta. Vis porro adstringens foliis Taxi inesse videtur ***) sed vix memoratu digna est.

Cum vero tam efficax sit nostrum remedium, omnino caute in vsu eius procedendum est, praecipue in plethoricis, iisque, quibus magna neuorum sensibilitas inest.

§. X.

DOSIS ET FORMA,

Quod vero ad formam et dosin, qua Taxus adhiberi debet, attinet, Medici Franco-galli ex foliis una cum ramis minoribus extractum aquosum aut vinosum parati iubent. Vtriusque extracti cl. HARMAND ****) initio grana

spicimus, in lacte ebutyrato acido, quo infantes prima vice post folia adhibita vtebantur, antidoton potius quaerendum esse censemus.

*) HVFELAND I c. p. 140.

**) Vid sect Chem §. VII.

***) Vid. ibid. §. VI.

****) HVFELAND I, c. p. 153.

na duo vel tria, forma pilularum dedit, sensim sensimque vero dosin ad grana duodecim usque de die augendo adscendit, donec effectus supra recensiti sese manifestarent, quo facto ad primam dosin iterum descendit. Hanc methodum Ill. Viri BUCHOLZ et HVFELAND etiam obseruarunt, ita tamen, ut secundum aetatem et corporis constitutionem eam vel minuerent vel augerent. Optimo quoque cum successu Ill. HVFELAND hocce remedium vna cum aliis quibusdam e. gr. cum myrrha vel lacte sulphuris in catameniorum suppressione, et propter nauseam, quam saepe excitare solet, cum aromate quodam adhibuit.

Pulueris corticis et foliorum Taxi cl. HARMAND *), etiam minori dosi incipiens, tandem ad drachmas duas de die, vna vice aut pluribus vicibus dedit: apud nos vero nunquam Taxus hac forma adhibita est. — Iam vero ad specialem usum nostri medicaminis veniendum est.

§. XL

MORBI SPECIALES.

1. *Febris intermittens.*

Contra hunc morbum in nonnullis casibus vim suam exseruit: cl. HARMAND **) enim narrat, virum quadragenarium, per decem et sex menses febre quartana iam affectum, infuso ex vncia vna corticis Taxi et vini albi libra vna, nec non salis culinaris aliqua copia parato, quod ante paroxysmum sumsit, hoc morbo statim sanatum esse. Post vero mensem exanthema psoricum in toto corpore eius erupit, capilli intra duo nych-

the-

*) HVFELAND l. c.

**) HUFELAND l. c. pag 146



themerā exciderunt, et per duos integros menses vires
aegroti mirum in modum prostratae sunt, donec exan-
thema tandem exsiccaretur: bis postea ictero nigro ad-
modum pertinaci afflictus est. Quinque porro aegro-
tantium, qui eodem morbo affecti erant, quibusque
cl. HARMAND *) ante paroxysmum bolum ponderis drach-
mae vnius, ex puluere Taxi cum extracto eiusmodi pa-
ratum exhibuit, duo post tertiam dosin absque ullo in-
sequente malo sanati sunt: tertius vero post quintam,
subsequente haemorrhagia conualuit: quartus sexta dosi
assumpta intumuit, febris intermittens in continuam
transiit, et denique aeger hydrope periit: quintus tan-
dem septem iam dosibus captis, haud ullum morbi leua-
men sensit, denique vero corticis peruviani ope ad sa-
nitatem restitutus est.

Ex iis, quae retuli, sequi videtur, nostrum reme-
dium haud sine cautione ad curandas febres intermit-
tentes adhibendum esse. Quantum enim ex generaliori-
bus eius effectibus colligere licet, sola vi narcotica ner-
vorum sensibilitatem ita opprimit, ut, quamquam ad-
huc quoddam irritamentum febrile materiale in corpore
retentum sit, hoc tamen paroxysmos efficere nequeat.
In primo enim casu, symptomata quae insecura sunt,
magis effectui materiei febrilis, quam medicamenti ad-
hibiti adscribenda esse puto, cum ea tantummodo post
duos menses adparuerunt. Idem de eo casu suspicor,
vbi hydrops febrem sequebatur. Abstineamus igitur ab
vsu Taxi, vbi quaedam adhuc materialis caussa paro-
xysmos febriles producens adest, et potius ad medica-
menta resoluentia et euacuantia configiamus. Cum ve-
ro

*) HVFELAND l. c. pag. 151.

ro ex generalioribus effectibus (§. I. lit. h. huius sectionis) pateat, Taxum vi magna diaphoretica gaudere; sperare aliquid possumus in iis febribus intermittentibus, quae a refrigerio, aut a retropulsis exanthematibus v. gr. scabie, herpete ortum traxerunt: id quod tamen peritiorum Medicorum iudicio remitto.

2. Rheumatismus.

In hoc quoque morbo Taxus laudata est. Viro quadagenario, ischiade ex caussa venerea laboranti, cum jam varia remedia, praecipue mercurialia, frustra adhibita fuissent, cl. GATERAV *) quotidie aliquoties pilulam ex granis tribus ad quatuor extracti Taxi paratam dedit: quo facto post quatuordecim dies dolores quidem remiserunt, ex toto tamen haud cessarunt. Idem vero alium virum quadraginta sex annos natum, qui jam per duos annos dolore rheumatico circa axillas affectus fuerat et per sex menses lecturi non deseruerat, intra quadraginta dies huius remedii ope ad perfectam sanitatem restituit. Hanc virtutem antirheumaticam Taxi ILL. BUCHOLZ sequenti obseruatione praecclare confirmat vidit. Rustica viginti quinque annorum, medio Ianuarii huius anni dolore vehementi rheumatico, dextrum faciei latus occupante, affligebatur. In auxiliu vocatus Vir III. regimen diaphoreticum ordinavit, vesicatoria pone aures et ad ceruicem ponenda curauit, et spiritum Mindereri cum infuso sambuci large superbibendo dedit. Horis quadraginta octo praeterlapsis, sinapismos circa axillam brachiumque ponere, et quouis bihorio viginti quinque guttas medicamenti ex Mixtura simplici et Tinctura thebaica compositi sumere iussit. Etsi vero haec remedia

*) HYFELAND I. c. pag. 142.



dia adhibita fuerint, dolor tamen noctem versus tam vehementer factus est, ut in conuuulsiones transire minaretur: tunc vero ill. BYCHOLZ solutionis ex extracti Taxi drachma vna, cum vini antimonialis HVXHAMMI vncia vna paratae, omni bihorio guttas quadraginta aegrotae dedit. Adhibitis tribus huius remedii dosibus dolores leniebantur, et per quinque dies continuata hac solutio-
ne, penitus euanescebant.

Quamquam ex his duobus casibus, in quibus praeclaro successu Taxus adhibita est, nondum satis certe virtutem eius antirheumaticam colligere possumus; tamen a vi eius diaphoretica (cf. §. l. huius sectionis lit. b.) multa sperare possumus, praecipue cum alia reme-
dia, quibus transpiratio augetur, v. gr. antimonials, guaiacum, dulcamara, aconitum, optimum effectum in hoc morbo producant.

3. Epilepsia.

Contra hoc malum, quod saepe omnem artem me-
dicam eludit, Taxus quoque adhibita est. Cl. HAR-
MAND *) puellae tredecim annos natae, per tres iam an-
nos epilepsia ex terrore orta vexatae, variis iam frustra
adhibitis medicamentis, intra quinque menses cum dimi-
dio extracti Taxi grana DCCXLIV dedit. Primo iam
mense paroxysmi manifeste remiserunt, sub finem ve-
ro quarti, simul erumpentibus menstruis, penitus ces-
sarunt. Minori vero cum successu viro quadraginta
quinque annorum, ab undecimo iam aetatis anno eodem
morbo laboranti, intra sex menses huius remedii grana
DCCCC dedit: quo facto quidem paroxysmi mitiores et
bre-

*) HVFELAND l. c, pag. 148,

breuiores facti sunt, postea vero sueto modo redierunt. In alio casu foeminam triginta sex annos natam, post infelix puerperium quinque iam annis epilepticam, extracti Taxi granis CCXXX ita liberauit, ut iste morbus in hydrozem, post duos menses diureticis sanatum, abiret. In viro porro cachectico, quinquaginta circiter annos nato, quem iam per septem annos morbus comitalis, ab exhalationibus carbonum ortus, adfecerat, adhibitis CXIX granis extracti Taxi, paroxysmi rarius redierunt: aegrotus autem sphacelo ex crure diffracto adfectus, post novem dies periit. Hoc in casu nec sphacelum nec mortem Taxo tribuas, cum fractura cruris complicata vna cum aliis caussis accendentibus mortem inferre potuerit.

Accedunt his obseruationibus experimenta Ill. Bvcholz *), qui puerum sedecim annos natum, quauis hebdomade paroxysmo epileptico adfectum, multis iam frustra adhibitis remediis, praecipue anhelminthicis, extracti Taxi ope intra mensem ad perfectam sanitatem restituit. Idem puellam quindecim annorum, quae catameniorum fluxu carebat, et quam insultus epileptici quotidie vehementissime excruciant, eodem remedio intra octiduum restituit, ita, ut non nisi noctu leuioribus paroxysmis adficeretur: protracto vero vsu huius medicamenti, breui temporis spatio praeterlapso, puerilla ad perfectam sanitatem perducta est.

Praeterea Ill. HvFELAND virtutem huius remedii in hoc morbo expertus est, id quod obseruatio sequens, quam beneuole mecum communicauit, testatur.

Puella

*) ex literis givs ad Ill. HvFELAND scriptis.



Puella sedecim annorum, cuius pater scrophulosus fuerat, a prima iuuentute variis symptomatibus scrophulosis affecta, nimia neruorum sensibilitate laborauit, eam in primis ob caussam, quia natuuae debilitati plurima accesserant irritamenta externa. Fluxus menstruus nondum in illa adparuit, nec incommodi quid, nisi interdum pectoris oppressionem, inde experta est puella. Accidit vero aliquando, ut ira excandesceret: quo facto subito adficta est insultu vehementi epileptico, qui quidem post aliquot horas cessauit, ab hoc tempore vero quotidie ter aut quater rediit. Inter insultus epilepticos aegrota mente priuata fuit et eiulauit: oculis distortis oreque sputante membra mirifice conuellebantur: paroxysmo autem finito omnia, quae ipsi acciderant, puella ignorauit. — Diebus XIV praeterlapsis et adhibitis variis remediis antispasticis, conuuulsiones per aliquot dies diminutae quidem sunt, postea vero maiori cum vehementia redierunt, ita tamen, ut maniaci insultus ab hoc inde tempore cum conuuulsionibus alternarent. Saepissime quoque dolores pectoris, ventris et coxarum accesserunt: pulsus semper fere durus, nonnunquam plenus, et lingua sordibus obducta fuit: adpetitus extra paroxysmum nullus fere adfuit, sub paroxysmo vero puella nunquam exsatiari potuit. Adhibita sunt varia medicamenta resoluentia, emetica, laxantia, antiphlogistica, anodyna, narcotica: in usum vocata sunt pediluuia et semicupia: omnia tamen haec remedia nullum usum praestiterunt, exceptis hirudinibus, quarum ad pudenda applicatio dolores imminuit. Denique Ill. HVFELAND, sibi persuadens, catameniorum retentionem diri huius mali causam praecipuam esse, pilulas sequentes praescripsit:

R. Extr. Taxi 3j

Lact. Sulphur. 3iſſ


M. fiant Pil. ponder. gr. i.

D.S. Initio bis de die tres pilulae capiantur, et quavis die dosis vna pilula augeatur.

Hisce pilulis solutionem, quam antea iam adhibuerat, ex extracto taraxaci et marrubii et tartaro solubili compositam adiunxit.

Vix puella haecce remedia per biduum ceperat, cum dolores vehementissimi sinistrae coxae et inguinum et conatus frequentes mingendi orirentur, quibus ptyalis mus accessit. Deliria furiosa nunc frequentiora et vehementiora reddita sunt, et cum dosis pilularum ad X vsque aucta esset, menstrua breui post insultum epilepticum vehementissimum eruperunt, et per sex dies large fluxerunt. Ab hoc tempore omnia symptomata nervosa diminuta sunt, interdum tantummodo syncope accessit, quae vero breui in vertiginem simplicem mutata est. Nunc vero ciborum adpetitus, somnus et vires redierunt, tumor vero glandulae inguinalis dolorificus, qui octo circiter dies ante eruptionem fluxus menstrui exortus erat, nunc sponte cessauit. Breui tempore post puella ad perfectam sanitatem restituta est, et ab eo inde tempore menstrua suo tempore redierunt, nec unquam adfectus supra memorati redierunt.

Insignis quidem est adparatus eorum medicamentorum, quae laudem virtutis antiepilepticae sibi conciliauerunt, iisque utimur successu ambiguo. Optima certe methodus ea est, si caussas, ex quibus morbus ortum duxit, remouemus. Quam vero difficilis interdum cognitio earum sit, quotidiana experientia docet: saepe



quoque remota caussa, effectus tamen non cessat, et morbus quasi ex consuetudine neruis impressa perdurat. Confugimus tunc in utroque casu ad classem remediorum antispasticorum. Cum vero virtus Taxi praecipue in eo consistat, ut principio narcotico spasmos auferat, eiusque effectus ex experimentis modo allatis in hoc morbo conspicuus sit; omni iure, uti caetera sic dicta ant-epileptica, Taxum adhiberi posse puto.

4. *Eclampsia.*

Semel cl. HARMAND *) infanti bienni hoc malo correpto, grana duo pulueris (foliorum?) Taxi dedit, quo facto paroxysmus aliquot minuta post quidem cessauit, sequenti die vero maiori cum vehementia rediit. Datis tunc inscio medico granis sex huius pulueris, infans brevi post morti succubuit.

5. *Spasmi cum aliis affectibus complicati.*

Viri sexaginta annorum, arthritide, spasmis habituatis post pastum, digestione magnopere laesa, vomitionibus biliosis, melancholia et magna corporis debilitate cum hepatis intumescentia affecti cl. HARMAND **) mentionem fecit. Cui cum intra triginta nouem dies grana CXVII extracti Taxi dedisset, symptomata egregie diminuta sunt. Cum vero subito podagra adficeretur, hoc remedium plane recusauit. Tribus postea hebdomadibus praeterlapsis erysipelas phlegmonodes totum corpus occupauit, et febris acuta, vitae discriminis timorem incutiens, secuta est. Podagra tunc cessauit, nec

vn-

*) HVFELAND l. c. p. 152.

**) HVFELAND l. c. p. 150

vnquam rediit, sed aeger in pristinum statum, excepto vomitu et hepatis intumescentia, abiit.

6. *Hydrophobia ex morsu canis rabidi.*

Folia Taxi in Silesia contra hunc morbum prophylactice adhiberi b. GLEDITSCH *) retulit: idem Ill. BURGSDORF **) de ligno Taxi asseruit.

7. *Catameniorum suppressio.*

Supra jam monui, Taxum in complicatione huius morbi cum epilepsia magno cum emolumento adhibitam esse: liceat tamen breuibus addere, qualis sit vsus huius remedii in ipsa mensium suppressione. Variae exstant obseruationes, quas hoc loco in medium proferre possem. Huc spectat exemplum cl. HARMAND ***), qui virginis nouemdecim annorum, a menstrui fluxus defectu per duos integros annos chloroticae, variis jam frustra datis medicamentis, spatio trium mensium grana CCCCXCIV extracti Taxi exhibuit. Adhibito per sex hebdomades hocce remedio, menstrua eruperunt, et per continuatum eius usum suo tempore semper redierunt. In Instituto clinico medico-chirurgico sub auspiciis Praesidis et Ill. HVFELANDII florente, aliquoties hocce medicamentum suam virtutem exseruit. En duas historias, quas ex ipso huius Instituti diario desumsi.

Femina quadraginta sex annorum, quae ante decem menses abortum perpessa erat, et ex hoc tem-


C 3

po-

*) *Einleitung in die Forstwissenschaft.* Vol. II. pag. 1051,

**) *Forsthandsbuch.* pag. 257.

***) HVFELAND I. e. p. 152.



pore mensibus suppressis laborabat, capitis et lumborum doloribus valde infestabatur: sordes quoque aderant primarum viarum et affectus febriles atque sudores nocturni. Adhibitis medicamentis resoluentibus et euacuantibus, symptomata aliquo modo diminuebantur. Cum vero ipsi datae essent pilulae ex drachma vna extracti Taxi cum drachmis duabus lactis sulphuris et extracti arnicae q. s. paratae, quarum initio bis de die grana octo capiebat, postea quouis die granis duobus dosi additis, post sex dies dolores capitis et lumborum valde augebantur. Quo facto, cum illi balnea pedum et vapores tepidi ad genitalia applicarentur, post aliquot dies catamenia eruperunt, tanta cum dolorum vehementia, ut pilularum vsus omitti deberet. Cum iterum signa sordium gastricarum sese manifestarent, medicamenta resoluentia et euacuantia repetita sunt. Praeterlapsis vero quatuor diebus, cum tempus, quo catamenia effluere solebant, immineret, denuo pilulae in usum vocatae sunt. Adhibitis intra quatuor dies granis sexaginta et quatuor, menstrua adparuerunt, et sub pilularum vsu per tres dies modice fluxerunt. Quo facto femina ab omnibus affectibus antea memoratis liberata est.

Virgo hysterica vicesimum tertium aetatis annum agens, per quinque jani annos mensibus non quidem penitus suppressis, sed tamen valde irregularibus, laborauit. Octo enim dies ante quamvis periodum adparuerunt vehementissimi capitis et lumborum dolores, spasmi ventrem conuellentes, adpetitus prostratio, somnique perturbatio, donec sanguinis fluxus valde exiguis erumperet. Iam plura remedia ex classe anti-spasticorum vna cum balneis pedum et scarificatione crurum frustra tentata fuerant, cum illi extractum Taxi cum puluere florum chamomillae romanae in pilulas re-

redactum daretur. Vix illa intra quatuor dies post accessionem symptomatum supra memoratorum huius remedii grana quinquaginta ceperat, cum sanguis per tres dies satis large flueret. Tribus postea periodis catamenia absque ullo incommodo fluxerunt. Cum vero quarta periodus immineret, symptomata supra memorata iterum adparuerunt. Adhibitis vero pilulis ex extracti Taxi drachma una cum lactis sulphuris drachmis duabus paratis, post aliquot dies menstrua adparuerunt, ex quo tempore virgo omnium molestiarum expers vixit.

Iam vero, cum in catameniorum retentione aut suppressione, usum medicamenti huius locum habere ex adductis exemplis adpareat; videamus, quibus indicationibus illud adhibendum sit. Cum caussae huius morbi tam multiplices sint, non ubique Taxus adhibenda erit. Superfluum esset, si singulas caussas, quae fluxum menstruum vel retinere vel opprimere possint, huc deferrein. Sufficiat igitur, eastantummodo nominasse, quae dum adsunt, usum nostri medicaminis sibi vindicare possunt. Hae imprimis spasmus et torpor vasorum vteri esse videntur. Quod ad primam caussam attinet, haud raro eam adesse conspicuum est: plurimae enim caussae remotae, vti v. gr. refrigerium, terror, ira, excitare solent spasmum vasorum vteri, quo sanguinis per illa vasa circuitus impeditur. Cum vero praecipuum effectum Taxi ex vi eius narcotica deducendum esse supra (§. II.) iam dictum fuerit, haecque virtus per usum eius in morbis spasticis probata sit; sperare licet, eam praecipue in hoc casu cum emolumento adhiberi posse. In torpore vero vasorum vteri per vim suam stimulantem, ex effectibus generalioribus supra (§. I. lit. c ad h) expositis dignoscendam, conducere videtur: id quod ill.

Hv-



HVFELAND *) ex adfinitate Taxi cum Iunipero sabinae LINN. suspicatus est. Si vero remedium nostrum ad hunc finem adhibere vis; in iis praecipue, quibus aliqua nobilis pars corporis propter laxitatem ad conges-
tiones proclivis est, aliqua medicamenta topica, e. gr. balnea pedum, vapores tepidos ad genitalia, ante ad-
hibeas, quam ipsam Taxum praescribas.

8. *Rhachitis.*

Infantem tres annos natum, hocque morbo deten-
tum, infuso foliorum Taxi cum saccharo et lacte mixto,
trium mensium spatio ad perfectam sanitatem restitu-
tum esse, cl. HARMAND **) retulit. Huic vero infanti,
id quod bene notandum est, alternis hebdomadibus
datum est remedium purgans ex puluere jalappae.

9. *Scabies.*

In Suecia decoctum foliorum Taxi externe contra
hoc malum adhiberi cl. FINKE ***) narrat.

10. *Ulceræ scorbutica et cariosa.*

III. HVFELAND proposuit ad explorandum, num forte Taxus in eiusmodi ulceribus eundem egregium effe-
ctum praestet, quem Iunipero sabinae tribuere debe-
mus. Probabile hoc videtur ex iis, quae supra (Sect. I.
§. VII.) attuli.

§. X.

*) I. c. p. 149. not.

**) HVFELAND l. c. pag. 151.

***) Med. pract. Geograph. Vol. II. pag. 610.

§. XII. H T

Quod denique ad vsum baccarum Taxi spectat, breuibus monendum esse videtur, cl. PERCY *) hisce baccis vim demulcentem, leniter laxantem et antispasticam tribuere. Syrupum ex baccis paratum, in variis tussis speciebus, obstructione aluina, doloribus a colica et a calculo vesicae productis, atque in catarrho vesicae, optimo cum successu se adhibuisse retulit.

*) HYFELAND I. c. pag. 156.

E R R A T A

p. 4. l. 15. calori l. calore.

p. 6. l. 20. adeici l. adieci.

THESES.

Variolae insitae naturalibus sunt preferendae.

I.

Purgantia emeticorum vices raro subire possunt.

III.

Clysmata ex fumo Nicotianae parata, ad excitandam vitam eorum, qui mortui videntur, non rejicienda sunt.

IV.

Antispasmodica in morbis hydropicis maxime conueniunt.

V.

Foetus in utero materno lue venerea adfici potest.

VI.

Sanguis menstruus in statu naturali partes nocivas non continet.

VII.

Venena saepe sunt medicamina.

